R. 11. op. 2. 3. octob. 41

ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Vir Illustris.

Johannes Horstius, cognatus meus, vir optimus, nec promptus ingenio minus, civis Reipublicae Sylvaeducensis (ut cum vulgo loquar) haut degener, vacivum in Senatu locum adfectat. Fautores habet plurimos. Quorum si adfectui Tua gratia accesserit insuper: dubium non est, quin voti sui evaserit compos. Quantum vero est, quod, apud Celsissimum Principem, non efficias! Hic potest, Tua Amplitudo, et ipsi, et mihi, verbulo unico, prodesse maximum. Rogo, itaque, peramanter, eum ut adjuves. Si, tamen, Tibi non molestum sit. Neque me enim, aliâs, opem Tuam hic imploraremus. Multis ~~me~~ nominibus me Tibi jampridem obstrinxisti. Haec hactenus compensare nihil licuit. Quod saepe me urit, adficitque. Praesertim, ubi me ad sacra Tua sollicitant amici. Sed aliquando, spero, in Tuis filiis, nascetur mihi vel ulla referendi occasio. Quam voto pariter ac studio maturatum eo. Si quid vero sit, in quo, mea, vicissim, opella, Tuae Excellentiae deserviat: ostendam, nihil mihi prius esse, quam ut Tanto Heroi meum in Te adfectum summa fide atque promptitudine persuasisse videar. Non occupo Te pluribus. Vale, meum Decus, et cognato meo gratificari sustine.

Amstelodami. XVIII. Sept.
MDCXLI.

Tuae Exc.tiae

addictissimus

Jos. Cabeliavius.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 9
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2628a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 9
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2628a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 9
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2628a

Illustri & Magnifico Viro,
D. CONSTANTINO HUGENIO
Polyhistori,
Equiti Torquato, Celsissimo
Principi Auriaco à Secre-
tis & intimis consiliÿs, &c.
Domino in Zuilichem &c.
Dom. & fautori suo
perpetim colendo.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 9
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2628a